
300
F 27

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 27




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 27

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 27



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 27



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 27



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 27

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 27

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 27

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 27

KW 300 F 27

CARMINA
IN HONOREM ALIQUOT
Magnorum & de Eccleſia, Reque ut publica; ita literaria optimè meritorum virorum,

loco Apophoreti,

SIVE

pro auſpiciis hujus Anni

cIↄ Iↄ c XXVI,

Eccleſiæ Lugduno-Batavæ Paſtoribus,

ET

Conſiſtorij Aſſeſſoribus,

in debitæ { obſervantiæ argumentum, gratitudinis monimentum,

Offert & dedicat

M. IOH. SICTOR ROKYCZANVS
exul Bohemus.

LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officinâ ISAACI ELZEVIRI,
Iurati Academiæ Typographi.
cIↄ Iↄ c XXVI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 27

Pietate, & eruditione gravitateq́; conſpicuis Viris,

ECCLESIÆ LEIDENSIS

Reverendis & Doctiſsimis

DOMINIS PASTORIBVS,

Reliquiſq; Prudentiſsimis cum iiſdem

SENATVS ECCLESIASTICI

Aſſeſſoribus, amicis in Chriſto honorandis,
& Patronis plurimùm obſervandis.

EPIGRAMMA.

DVm vetus ut quidam convertitur annulus annus,
Incipit & ſolitis menſibus ire novus,
Vile mihi hoc ad vos liceat convertere carmen,
Conſpicuâ inſignes integritate Viri.
Eſtis enim duræ memores hoc tempore ſortis,
Dum relevat noſtrum mens pia veſtra malum.
Quæ dedit ergo vetus ſub fine ſui ipſius annus,
Hæc offert vobis metra dicata novus.
Paucula ſunt fateor, ſed grato ex corde profecta,
Quæ non exigui ponderis eſſe queunt.
Spero etiam hoc gratum, queis ſunt inſcripta, futurum,
Dum Muſam irradiant lumina tanta meam.
Suſcipite ergo hilari mea tenuia carmina mente,
Pergite & exulibus corde favere piis,
Vos reget antiquus Flatu ſacro ille dierum,
Vt ſitis Chriſti Lux veneranda gregis.

Grati animi loco

inſtituit

M. IOH. SICTOR.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 27

AGGRATVLATIO

Pro felici ex Hollandia in Angliam reditu
Menſe Decembri Anni 1625.

Sereniſsimi ac Potentiſſimi Principis

CAROLI

Dei Gratiâ Magnæ Britanniæ, Franciæ & Hiberniæ
Regis, Defenſoris Fidei, ad Sereniſſimum
Bohemiæ Regem FRIDERICVM &
Præpotentes Ordines Confœderati
Belgii Supremo Legato,

Illuſtriſsimo ac Celſiſsimo Principi, Domino

Dn. GEORGIO VILLIERS, Duci, Marchioni
& Comiti de Buckingham; Comiti de Coventry, Vice-
Comiti Villiers; Baroni de Whaddon, Archi-
thalaſſo Angliæ & Hiberniæ & Principatus
Walliæ, &c. Regij Ordinis Garterij
Equiti, Domino Clementiſſimo.

BUCKINHAIMIACÆ Dux Illuſtriſſime Gentis,
Magna Britanniaci ſtella decusque throni:
Dum ſacra FRIDRICO confers ſolatia REGI,
Immortale tibi nomen in orbe paras,
Summus & ad Batavos Regni Legatus aviti
Ritè Bohemorum ſcis relevare malum.
Te movet ipſe DEVS, virtutis & entheus ardor,
Quod facit officium pro pietate tuum.
Sunt modò namque tuæ commiſſa negotia curæ,
In quibus eſt Patriæ vera repoſta ſalus,
Te Duce cauſa DEI nuper collapſa reſurgit,
Lausque Palatinæ panditur alma Domùs:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 27

Unde Britannorum REX CAROLVS unicus hæres
Suſcipit auſpiciis bella ſacrata piis.
Sint tibi felices Orientis in æquore venti,
Et reduci in Patriam flabra ſecunda ferant,
Fædere quò tanto conjuncta Britannia Belgis
Fiat inexhauſtis firma potenſque bonis.
Tu quoque flos Regni, Procerum Lux, inclyte Princeps,
Perge bonæ cauſæ corde favere pio,
Te Deus in terris majori extollet honore,
Et faciet ſtabili Regis amore frui,
Non minus incolumem plures ſervabit in annos,
Ut videas Patrij Regna beata ſoli.
Ille Britannorum Rex maximus atque Monarcha
Gaudeat ex reditu CAROLVS ipſe tuo,
Teque probè ſancto Legati munere functum
Præficiat ſummis conſiliisque ſacris.
Et reliqui applaudant Heroes ſtemmate clari,
Quos fovet in gremio nobilis ordo ſuo.
Denique tota ſacri ſupremaque Curia Regni
Hæc tua judiciis approbet acta bonis.
Plebs pia dicat Amen gratum celebrando triumphum,
Fortis ut Angliaci ſis Cynoſura throni.
Vive DEO & REGI ſic dilectiſſime Princeps,
Et Chriſti exulibus cælitùs adfer opem,
In Patriam ut reduces Sancto cum REGE Bohemi
Miremur ſummi maxima facta DEI,
Pro meritiſque tibi referamus denique grates,
Quod fueris noſtri cauſa ſubinde boni.

ODE

ODE CONSOLATORIA

Nobiliſſimis, Prudentiſſimis & Doctiſſimis viris,

D. LVDOVICO CAMERARIO I.V. Doct. & Domino THEOBALDO MAVRICIO, Sereniſſimi Bohemorum Regis FRIDERICI, illi Conſiliario; huic Secretario: ambobus inſperatum obitum filiorum ſuorum, quorum uterque non procul ab Haga Comitis in arenæ fodinis aquâ repletis, caſu quodam fatali, 2 Septembris Anni 1625 ſubmerſus eſt, lugentibus, Patronis plurimùm honorandis, συμπαθείας Chriſtianæ loco, inſtituta.

NVnquam ſola venit, quoties immittitur ægris
Mortalibus calamitas;
Quin mala plura ferat.
Non minus hæc eadem vobis contingit & ipſis,
Ambo potentis ingenI,
Conſiliiq; viri.
Non ſatis eſt unâ proſterni namq; procellâ
Hoc longi acerbo temporis
Exilioq; premi;
Verùm etiam privari inopino deniq; caſu
Vnâ duobus filiis,
Palmitibus thalami.
Quod factum eſt minimè abſq; Dei, quæ cuncta gubernat
In orbe, providentiâ,
Summi & amore Patris:
Qui probat ipſe ſuos adverſis ſæpe fideles,
Tandem probatos ut gradu
Proſperiore locet.
Affligit cumulus juſtos aliquando malorum,
Appareat jucundius
Cæles ut auxilium.
Sic diuturna quidem in terris poſt nubila Phœbus
Sereniore lumine
Gratior eſſe ſolet.
Sit vobis animus conſtans patientis Hiobi,
Et ſpe potenti roboret
Ad meliora fidem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 27

Erigat & veſtras pia conſolatio mentes,
Et diſciplinam mitiget
Cura paterna Dei.
Nil nocet hic veſtris caſus diſcrimine natis,
Communis eſt qui impijs;
Non minus atq; pijs.
Mors equidem laqueos diverſâ fraude nocentes
In omnibus ponit locis,
Ad ſe hominesq; rapit.
Hic cadit enſe gravi; rapidis perit ille ſub undis:
Hic concidit durâ fame;
Tollitur ille lue:
Hic ſtadium vitæ ſeros decurrit ad annos;
Illum juventa in florida
Lurida Parca rapit.
Stat ſua cuiq; dies, ſtat certaq; temporis hora,
Quam nullus hîc mortalium
Effugere arte poteſt.
Sed Domino eſt pietas curæ, quâ ſpicula mortis
Amara vertit in bonum,
Lenit & omne malum.
Non etenim in vanum ſua dona fidelibus offert;
Sed ad ſalutis commodum
Dirigit omnipotens.
Veſtra fuit tali ſoboles exercita cultu
Primis ab incunabulis
In pietate ſacrâ,
In Domini paritèr vero formata timore,
Et cæteris virtutibus,
Moribus atq; bonis:
Cui ſimul in ſtudiis ſtimulum dabat entheus ardor,
Præcoxq; virtus ingenI
Laudis agebat iter:
Vt non exiguam dederit ſpem frugis opimæ
Eccleſiæ & parentibus,
Aoniisq; choris.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 27

Sed quia jam ſummo viſum eſt hâc morte Iehovæ
Veſtros reſumi filios
Gaudia ad alta poli,
Vos decet ex animo plures deponere luctûs
Et ferre laudibus magis
Iudicia iſta Dei:
Ille quidem ſolus vobis poſt nubila ſortis
Soles reducet aureos,
Et bona plura dabit,
Dum veluti fido tot triſtia vertet Hiobo
In mille rerum jubila
Dexteriore gradu.

Carmen gratulatorium
Pro felici, ex legitima Magiſtratûs vocatione, ab Eccleſia Delphenſi ad Harlemenſem demigratione Anni præteriti 1625 Menſe Novembri facta,

Reverendo ac honorando in Chriſto viro,

D. HENRICO SWALMIO
Eccleſiaſtæ fideliſſimo, Patrono cum primis obſervando.

SWALMIE divini fidiſſime nuncie verbi,
Cur præfers Delphis Harlemienſe ſolum?
Te Doctore fuit florens Eccleſia Delphis,
Grex habuitque ſacer paſcua læta DEI:
Quem vigilans Delphis coluiſti nuper agellum;
Harlemij eſt ſimili Marte colendus ager:
Quam ſupero Delphis ſperaſti fænore meſſem;
Harlemij te eadem meſſis amæna manet:
Quod Chriſti Delphis paviſti Paſtor ovile;
Harlemij paritèr ſunt gregis hujus oves:
Quæ plantaſti etiam Delphis vineta Sionis;
Harlemij ſupereſt vinea & illa DEI.
Fallor ego, haud præfers; verùm prodeſſe laboras
Ambobus Chriſti cognitione pari.
Non tibi ſacra fames auri perſuaſit id ipſum;
Sed major populi cura favorque pij.

Illa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 27

Illa loci, non officij, mutatio ſola eſt,
  Ipſe Magiſtratus quam Dei amore facit.
Mutuus ille labor cum fructu & laude videtur,
  Dum pergis Batavis ritè placere tuis.
Harlemienſe bonum Delphenſi cedit honori,
  Quòd dederit clarum te probitate virum.
Par labór, officium, divina vocatio tanta eſt,
  Sors prior & præſens una eademque manet.
Exemplo ſimili te Acronius ipſe præivit,
  Qui viridi in prato pavit ovile Dei:
Iamque Groninganis laudi eſt, dum ſemine Chriſti
  Harlemij tecum nunc quoque paſcit oves.
Nil temerè à vobis mutato in munere factum eſt,
  Quod fieri voluit maximus ille Pater:
Ille igitur te legitimè, Vir fide, vocatum
  Dirigat auſpicijs Flaminis ipſe ſacri,
Vt Duce te Christi campus, grex, vinea abundet
  Floribus, & fructus det pietate graves:
Edat ager meſſem, grex lac, vindemia botros,
  Sic erit officij Sparta beata tui.

EPIGRAMMA

De duobus Lydiis in Eccleſiis Reformatis Confœderati Belgii probatiſſimis: uno apud Dordracenſes; altero apud Veteraquenſes, ut puritate doctrinæ, ita integritate vitæ excellente: Patronis exulum Chriſti optimis.

Inter tot Lydios, quot Belgica virgo lapillos
  Continet, experior nomine reqꝫ duos.
Vrbs Dordracum unum midi dat, Vetus unda ſecundum,
  Cum reliquos faciat mens ſtudiumqꝫ pares.
Hunc Synodi Lydium Patres fecêre probatum;
  Alterum at integritas comprobat ipſa virum.
Ergo probent Lydio pleriqꝫ metalla lapillo,
  His ego in adverſis ritè probabo fidem.
Novit uterqꝫ probè lapſis ſuccurrere rebus,
  Exulibusqꝫ pijs ferre decentèr opem.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 27

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 27

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 27

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
300 F 27